

scripsisti ut nihil minus. Ego nunc habens nuntii commoditatem, non potui pati ut sine litteris meis ad te illuc veniret. Sed propter temporis angustiam breviter scribam, imprimisque commendo tibi honorem meum et ut me saepius carum facias reverendissimis dominis illis meis videlicet domino cardinali Sancti Marci et vicecancellario. Hoc tibi scribo domestice ac familiariter tanquam fidisimo amico. Tu interim dum in curia manes, facito me certiore de rebus novis occurre/300/ntibus quae ibi geruntur. Si quid ergo per te hic possum, libentissime faciam, et erit gratum si me in aliquo tui gratia exercueris. Vale.

Hyadrae XVIII Iulii.

64.(36)

Giovanni Sobota a Maffeo Vallaresso

Traù, 2 agosto 1452

Giovanni Sobota scrive a M. V. per raccomandargli il presbitero Luciano, il quale deve affrontare una causa che avrà come giudice lo stesso M. V. (JELIĆ, 48).

/42/ Iohannes Sobotae Mapheo archiepiscopo Hyadrensi.^a

[1] Omnes qui excellens ingenium tuum novere, clara voce et predicant et fatentur, te iustitiae esse acerrimum patronum, nec unquam ullius auctoritas tantum efficere potuit ut a dignitate, splendoreve tuo discederes. Qua ex re virtute tua et animi magnitudine fretus, Luciano sacerdoti modestissimo illa de te pollicitus sum, quae de summo viro polliceri possunt. Postquam iudicem suum^b te esse cognovi, ipsum bene sperari iussi. Est mea ex sententia sacerdos singulari modestia, mihi iustis de causis carissimus. [2] Habet praeterea causam (ut opinio mea fert) luce meridiana clariorem, cum diligentius consideres. Pro singulari tua iuris prudentia multarumque rerum usu facile percipies, non iure, sed vi aperta et auctoritate nonnullorum causam suam oppugnari. Et quod magis mirum ac stupendum est, illi aperte ipsum oppugnant, qui praecipuam sanctimoniam prae se ferunt,^c vivosque in catalogo sanctorum, si quis non numeret, commoventur ac indignantur.

^a Epistola commendat[itia] et bona *mg.*

^b suum *add. s.l.*

^c praecipuam sanctimoniam prae se ferunt] Nota genus hypocritarum *mg.*

[3] Huiuscemodi hominum genus perversissimum est, qui omnia non ex iure, sed ex sua libidine moderantur. Scio virtute pravam libidinem vinces. Usque ad haec tempora nunquam vidimus patronos, qui suo labore suaque impensa ecclesias aedificavere dedicavereque violato divino et humano iure, maximis contumeliis affectos /43/, proprio et avito iure privari. [4] Lu[ciano] suasi sine aliqua haesitatione tuae fidei omnia sua iura committat. Aegre fert bona illa abs te sequestrari, quo^a ille et patronatus iure et apostolica auctoritate possidet. Maiorem in modum rogo, ita rem suam suscipias, ut ipse intelligat me ad te hac de re non frustra scripsisse. Vale.

Ex Tragurio IIII Nonas Sextilis MCCCCLII.

65.(223)

Maffeo Vallaresso a Pietro Barbo

Zara, 26 agosto 1452

M. V. ha ricevuto l'attesa lettera di Pietro Barbo, che lo informa della sua guarigione.

/229/ Ad reverendissimum dominum, dominum
P[etrum] cardinalem Sancti Marci.

Ingenti desiderio desideratas litteras vestrae reverendissimae dominationis accepi per quendam praesbyterum Hyadrensem, quibus de sospitate vestra, quod ante omnia scire cupio, certior factus sum, credoque reverendissimam dominationem vestram ad me frequentius antehac scripturam, ut dicit, nisi nuntiorum copia defuisset. Ego vero nedum hoc verum, etiam occupationes multifarias huic rei puto impedimento fuisse, ne reverendissima dominatio vestra ad me servulum suum scribere posset. Sed cum per viam Venetiarum scribendi modus facilis sit neque unquam et cetera. Valete.

Ex Hyadra die XXVI Augusti MCCCCLII.

^a quo *ms* : quae *JELIC*, fortasse recte.